

priè dicta excommunicatio, quam majorem recentiores appellaverunt, tùm vero propriè dicitur anathema, uti in can. 2. caus. 5. quæst. 2., in can. 3. caus. 3. quæst. 5. & in cap. 10. de iudiciis. Vel violata est excommunicatio, quam *minorem* appellant, aut si de veterum ca-

nonum interpretatione sermo sit, excommunicatio quædam ex levioribus, quem non esset dejectio ab universa Ecclesiæ communione; tùm vero propriè dicitur excommunicationis censura, uti in can. 2. caus. 5. quæst. 1.

CAPUT VII.

De suspensionis censura.

Quemadmodum sæpè apud veteres sub generali excommunicationis nomine, uti superius observatum est, veniebat etiam suspensio ad certum, vel incertum tempus indicta, aut perpetua depositio à sacris religiosive officii, can. 5. ex Apostolicis, can. 13. dist. 12., can. 17. dist. 18., can. 9. dist. 23., can. 9. dist. 35., can. ult. caus. 2. quæst. 1., can. 16. caus. 7. quæst. 1., can. 2. caus. 24. quæst. 3., can. 35. 57. de consecr. dist. 1., can. 11. de consecr. dist. 2., ita & aliquando contingit, ut excommunicati, ii scilicet qui censura excommunicationis, non pœna anathematis plecebantur, suspensi à communione dicerentur, etiam si de laicis ageretur, can. 7. caus. 27. quæst. 1., can. 5. de penit. dist. 5., & in can. 11. Concilii Arelatensis II. anni 452., ubi statuitur, laicos metu persecutionum à fide recedentes per certum tempus haberi à *communione suspensos*, quod potiore jure de Clericis dicebatur, ubi communione tantùm clericali arcebantur, uti in can. 2. dist. 34., can. 12. caus. 2. quæst. 1., can. 1. caus. 4. quæst. 5., can. 2. caus. 15. quæst. 8., can. 2. caus. 21. quæst. 4. Hodie propriè suspensio appellatur censura, qua Clerico, vel Monacho, vel etiam Clericorum Monachorumve Collegio interdicitur, ne ordine suo officiove fungatur, neve fructus beneficij sui percipiat, jure beneficij, officiove retento. Speciale hoc suspensionis nomen ad hanc censuram designan-

dam à recentioribus usurpari consuevit, postquam censurarum discrimina clarius à Pragmaticis, & Interpretibus tradita ceperunt, juxta capitulum 20. de verb. signif., cap. 8. de consuet., cap. 7. in fine, cap. 16. & 26. de elect., cap. 8. de ætate qualit. & ord. præf., cap. 18. de excess. Prælat. Neque verò negotium facessit capitulum 2. de Cler. excom., quod est Concilii Antiocheni quarto sæculo celebrati; siquidem quod ibidem occurrit *suspensij* Clerici nomen, recentioris Interpretis manu adjectum deprehenditur, quemadmodum liquet ex collatione dicti capituli cum can. 6. & 7. caus. 11. quæst. 3. Non memoro canonem 5. caus. 26. q. 5. utpotè in quemdam irrepsisse, & pro voce *suspensus* in Toletano Concilio legi *depositus* jam observaverunt Romani Correctores. Similia etiam menda occurrunt in can. 2. caus. 21. quæst. 4., & in multis placeat, in dict. can. 2. dist. 34., seu, quod idem est, in cap. 1. de Clerico venatore. Cùm autem, uti dictum est, apud veteres aliquando nomen suspensionis indicabat depositionem, id verum erat, ubi suspensio in perpetuum indicebatur, can. 5. caus. 26. quæst. 5., quemadmodum & è converso non semel qui depositi, & damnati generaliter dicebantur, propriè suspensi tantùm erant, quoties in certum, vel in incertum tempus depositio conferretur, quemadmodum interpretari possumus canonem 13. & sequentes usque ad 29. dist.

dist. 50. Hinc regula præsistit potest, ut si quis in veteribus canonibus dicatur deponi, aut carere dignitate, dejecti à clero intelligeretur suspensio, nisi adpareret, adjectam fuisse clausulam *sine spe restitutionis*, vel aliam similem, quæ pœnam perpetuam designaret; quemadmodum intelligi canonem 13. dist. 23., can. 5. 7. dist. 24., can. 1. dist. 48., can. 22. 25. 29. 32. 33. 55. 58. dist. 50., can. 1. 5. dist. 51., can. 2. & passim dist. 54., can. 1. 2. dist. 70., can. 1. 3. 4. & passim dist. 71., can. 4. dist. 77., can. 4. caus. 1. q. 7., & can. 7. caus. 2. q. 3. Quod si quandoquæ in vetustis canonibus talis concepta fuisset formula, quæ æquè commode, & ad suspensionem, & ad depositionem referri valeret, ego censeo, positum fuisse in Episcoporum arbitrio, ut quam pro arbitrio judicarent, seu suspensionis, seu depositionis pro qualitate criminis, & adjunctis sententiam præferrent.

Itaque propriè dicta suspensio in primis appellatur censura, non sanè quòd omnis suspensio, quæ in canonibus memoratur, censura sit, sed illa tantùm, quæ inferitur ad coercendos reos criminum, donec ipsi Ecclesiæ satisfaciant. Hinc multiplex suspensio esse potest, alia nimirum, quæ poenitentia, vel pœna locum tenet; alia quæ neque poenitentia, neque pœna, neque censura est, sed potius salutaris quædam providentia, qua Episcopus ex certis factorum adjunctis consulti decori sacerdotum, sive Sacramentorum honori; alia denique, quæ est propriè censura. Qua in re observatione dignum est, non omnia, quæ passim statuta, ac recepta sunt de censura suspensionis, ceteris suspensionum speciebus convenire. Sita est aliquando suspensio in poenitentia, vel pœna, veluti cùm quis ad certum, & determinatum tempus, putà ad annum, jubetur à sacris officiis abstinere, uti in can. 13. dist. 12., can. 17. dist. 18., can. 9. dist. 35.,

can. 36. dist. 50., can. 2. dist. 55., can. 29. caus. 7. q. 1., can. 2. caus. 21. quæst. 4., can. 32. caus. 23. q. 8., cap. 1. de custod. Euchar., cap. 7. de elect., cap. 1. 5. *Adjicientes*, cap. 16. 5. *Ceterum*, cap. 37. 8. *Porò*, cap. 44. eod. tit. in 6., cap. 2. & 4. de tempor. ordin. in 6., cap. 1. de sent. & re judic. in 6., cap. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6., cap. 1. de sentent. excom. in 6., Clem. 1. 5. *Verùm* de hæret., Concilio Tridentino sess. 23. cap. 8. & 10. de Reformat. Consistit deinde aliquando suspensio in eo, quòd episcopali providentia quis arceatur à ministerio sacro, non sanè quòd qui suspenditur, criminis reus sit; aut de crimine convictus, aut crimen confessus, sed quòd non deceat sancta tractari ab eo, contra quem fama publica aliquid minus honestum refert, vel jam criminis publici accusatus, vel inquisitio fuerit instituta, ita postulante politia ecclesiasticæ ratione, quæ non patitur ad executionem sacrorum admitti nisi eos, qui integræ vitæ, & existimationis sint apud homines, ut honesta undecumque sit, & decora Sacramentorum administratio. Hæc suspensio nec per sententiam fit, nec ex juris dispositione, sed per mandatum Prælati. Exempla autem sunt in can. 13. & 14. caus. 2. quæst. 5., in cap. 26. de accusation., in cap. 10. de purgat. canon., in cap. 4. 5. 10. & 31. de simonia. Hinc fluit, ut quantum nemo excommunicari possit, aut interdici, nisi ob certum crimen, imò ut plurimum causa excommunicationis, aut interdici esse soleat contumacia; aliud tamen observetur in suspensione, quæ etiam ad cautelam adhibetur, qua in specie numquam censura dici potest. Hinc etiam fluit, ut suspensio infligi possit ob peccata præterita, quæ quis fortè jam poenitentia deleverit, aut etiam ex sola suspensioe peccati, quemadmodum & ritè indiceretur ex defectu corporis temporali, quod potius in

honorem sit sacri ordinis, quam ad privationem jurium spiritualium causa Clerici emendandi. Poterit in hoc suspensionis genere obtinet, ut suspensus non statim, ac purgatus, absolutusque abs judicio fuerit, absolvendus sit à suspensione, & ad sacra ministeria obeunda admittendus, sed debeat adhuc expectari, donec rumor publicus, ad scandalum evanuerit, secus ac vigeat in suspensione à beneficio, quod statim reddendum est, cap. 10. de purgat. canon. Hinc præterea fluit, suspensionem, quæ fit ad cautelam, seu ad honorem sacrorum ministeriorum, esse partialem, nimirum tantum ab exercitio ordinis, non à beneficiis; etenim in eo, quo quis beneficii redditibus utatur, non est, quod detrahatur venerationi sacrorum ministeriorum; unde in cap. 10. de purgat. canon. Innocentius III. approbavit quidem sententiam suspensionis à muneribus ordinis latam adversus suspectam; non tamen eodem modo approbavit sententiam suspensionis à beneficio, quam tantum professus est, se *nolle improbare*, factum superioris excusans, propterea quod de *immanitate criminis*, in quo severioris disciplinae extra ordinem usus esse poterat, ageretur. Hinc denique fuit, aliquando esse posse aliquem suspensionem ratione sui, non aliorum, uti contingit in crimine occulto, cui imminet ipso facto suspensionis censura; aliquando posse aliquem suspendi ratione aliorum, non sui, veluti ab exercitio sacrorum ex simplici suspitione criminis, qua in specie nonnihil relinquuntur arbitrio Prælati, uti coërceat suspensionis mandatum ad sacra publicè gerenda, & permittere valeat, pro suspensionis modo, Clerico suspecto exercitio ordinis privatim habendam; & aliquando posse aliquem esse suspensum & ratione sui, & aliorum, ubi crimen verum sit, & publicum, id est judicio publico probatum.

Proprie censura suspensionis est, cum

ad tempus indeterminatum infligitur ad rem emendandam, & in hoc à depositione perpetua distinguitur. Referuntur autem ad functiones universas, sive clericales, sive monasticas, sive illæ sint ordinis, sive administrationis; & in hoc distinguitur ab excommunicatione, quæ refertur ad bona fidelibus universis communia, eamque ob causam ita definita est, ut per eam Clericis, aut Monachis interdicatur, ne ordine suo, officiove fungantur, neve fructus beneficiorum percipiant, non solum jure ordinationis, sed & jure officii, beneficiique retento. Igitur inferri potest censura suspensionis in Clericos aequè, ac in Monachos, aut Sanctimonialia, imò & in Clericorum, Monachorum, aut Sanctimonialium Collegia. Siquidem hærent iis omnibus jura, circa quæ suspensio versatur. Respectu Capitulorum sunt, quæ sunt in communi, putà jus eligendi, jus celebrandum officiorum, jus suffragii in negotiis Capitalaribus, & similia. De suspensione abs jure eligendi fit mentio in cap. 7. §. ult. de elect. De suspensione ab officii mentio fit in cap. 40. de election. in 6., & in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 10. de Reformat. Notandum autem est, ubi Capitula dicuntur suspendendi à divinis, intelligi suspensa à divinis, quæ sunt in communi, non autem ab iis, quæ singuli de Capitulo obirent; cum multum distet suspensio Collegiorum à suspensione singularium personarum, utut istæ Collegium componant. Respectu singularium personarum suspensio refertur ad omnia jura, quæ singularibus eisdem personis competunt. Specialis est de Episcopis constituta disciplina, item de Prælati quibuscumque Episcopo majoribus, ut ii non subiaceant generalibus suspensionibus ex juris auctoritate indictis, nisi in lege suspensionem indicente facta fuerit de eisdem Episcopis, & Prælati expressa mentio, cap. 37. de elect. in 6., cap. 4. de sent. excom. in 6. Sunt qui pu-

putant, hoc episcopale privilegium, ut potè primum competens ex providentia Concilii Lugdunensis, spectare tantum suspensiones generaliter indictas ab iis legibus, quæ editæ fuerint post Lugdunense Concilium, non verò respicere canones præcedentes, sive editos olim usque ad annum 1245., propterea quod regula sit, leges futuris tantum, non præteritis casibus prospicere, argumento capituli 13. de constitut. Mihi hæc opinio placere non potest, observanti in primis, Lugdunensem canonem in dicto cap. 4. de sentent. excom. in 6. non exprimi verbis directis in leges, quæ sententiam suspensionis intulerunt, sed in Episcopos, qui exempti declarantur à suspensione à quacumque constitutione indicta, uti perspicuè probant verba illa, *nullius constitutionis occasiones*; observanti deinde, rationem Lugdunensis Concilii generalem esse, & aequè ad futuras, atque ad præteritas leges referri; quomodo enim satis prospectum esset juxta mentem Lugdunensium Patrum periculis Ecclesiarum, si adhuc Episcopi subjacere pergerent suspensionibus antea indictis? observanti denique, nihil in contrarium probari ex generali regula capituli 13. de constitut., quamquam enim verum sit, leges plerumque non respicere casus præteritos, in proposito tamen Lugdunense privilegium prospicere futuris casibus. Esto, legem proponi latam ante Lugdunense Concilium; factum tamen, ex quo Episcopus suspensioni subjaceret, Lugdunensi Concilio successit; eamque ob rem in hac specie adhuc constitutio Lugdunensis ad futuros tantum casus referretur. Episcoporum mentio specialis fit in ea specie, qua damnandi sint, qui Apostolicæ Sedis præcepta contemnant, can. 2. dist. 12.; secundò in ea specie, qua plectuntur Clerici venatores, can. 2. dist. 34., cap. 1. de Clerico venat.; tertio in ea specie, qua Episcopi consentiant Clericis incontinentibus, can. 10. dist. 32., & can. 1.

dist. 83.; quartò, quoties Episcopi mutuis sese non adjuverint officiis ad pacem populorum conciliandam, can. 11. dist. 90.; quinto, si Episcopi Parochias alienas invadant, vel concitent seditiones; can. 6. dist. 92.; sexto, si pecuniam pro sacro oleo, aut balsamo Episcopi acceperint, can. 102. caus. 1. quæst. 1.; septimò, si Episcopus alienum diocesanum censura notaverit, can. 7. caus. 9. quæst. 3.; octavò, si Episcopus temerè res ecclesiasticas alienaverit, can. 8. caus. 10. quæst. 2.; nonò, si Episcopus præter superioris consensum à sua diocesi absit, can. 26. & 27. caus. 23. quæst. 8.; decimò, si Episcopus convitiam in depopulatores agrorum, & incendiarios exhibuerit, can. 32. caus. 23. quæst. 8.; undecimò, si Episcopus decimas & oblationes laicis concesserit, cap. 17. de decimis; duodecimò, si Concilium provinciale statuis temporibus non celebraverit, cap. 25. de accusat.; decimotertio, si Episcopus non eam sollicitudinem adhibuerit, quæ indicitur in cap. 9. de hæreticis in integra Decretali; decimoquarto in specie cap. 10. de excess. Prælator., ubi Episcopus contra canones adversus fures judicium institui curaverat, graviterque deliquerat; denique si Episcopus ordinaverit invitum, can. 1. dist. 74.

Duplex est suspensionis censura, nimirum totalis, & partialis, uti Pragmatici loquuntur. Totalis universa jura afficit, seu quæ ab officio, seu quæ à beneficio, seu quæ ab ordine pendent, uti in can. 5. 6. 10. & 11. dist. 32. Partialis aliqua tantum jura elevat, vel ea nimirum, quæ sunt officii, vel quæ beneficii, vel quæ ordinis, uti in cap. 2. de Cleric. non ordin. min., cap. 7. §. ult., cap. 26. & 44. de elect., cap. 1. in fine, cap. 13. & 37. de elect. in 6., cap. 1. de sent. & re judic. in 6. Imò & ipsa partialis suspensio adhuc in minores partes subdividitur; sic ex. gr. potest ita quis suspendi ab ordi-

dine, ut unius careat ordinis ministerio, alterius ministerio retineat, can. 17. dist. 34. can. 39. dist. 50., cap. 13. 14. 16. de temporib. ordin., cap. 4. eod. in 6., cap. un. de Cler. per salt. prom., cap. 2. & 3. de eo qui furtivè. Sic ex. gr. potest per suspensionem alicui denegari jus unius beneficii, alterius reservari, cap. 37. de elect. in 6. Multa sanè sunt in proposito observanda. Et primò quidem, si quis generaliter sit suspensus, id est ita aut lege, aut sententia iudicis notetur, ut absolute suspendatur, intelligitur suspensus ab omnibus juribus seu ordinis, seu officii, seu beneficii, argumento canonis 2. caus. 21. quast. 2. Secundò, licet suspensus à minore ordine, officio, vel beneficio in causa sit, ut majori, & præstantiori ut plurimum interdicitur; non tamen è converso suspensus à majore, & præstantiore interdicitum intelligitur, ne in minore ministret, cap. 4. & 17. de tempor. ordin. Hanc ob rem suspensus ab ordine recepto, vi ejusdem suspensionis interea impeditur, ne ad majores ordines ascendat. Tertio, quod attinet ad suspensionem ab ordine, qui ab hoc tantum suspensus est, poterit nihilominus exercere jurisdictionem in foro externo. Quarto, quod attinet ad suspensionem ab officio, qui ab hoc suspensus est, neque eligere, neque eligi potest, neque suffragium ullum ferre, cap. 8. de consuet., cap. 26. de elect., cap. 8. de et. & qual. præfic., cap. 10. de Cler. excom. minist., cap. 18. de excess. Prælator., neque ulla ratione potest exercere jurisdictionem sive fori interni sit, sive fori externi, ita ut actus jurisdictionis editi irriti penitus habeantur. Quintò, quod attinet ad suspensionem à beneficio, observatur, olim hanc perquam raro indictam fuisse, propterèa quòd beneficia non habebant eam formam, quam in præsentia exhibent. Nimirum beneficium Clericorum ex communi disciplina in eo consistebant, quòd Clericus

ex redditibus Ecclesiarum necessaria alimenta perciperet, sive in communi, sive certas obventiones sibi præcipuas faciens. Potius in hoc censuræ species erat, quòd Clerici cogentur alimenta capere segregati à cæteris, quòd dicebatur deduci in peregrinam communionem. Recentioribus sæculis, postquam beneficia in aliam formam redacta sunt, & Clerici sibi blanditi fuerunt, arbitrati se in illis majus quoddam jus habere, frequentior esse cæpit hæc suspensio, ut in iis rei gravius punirentur, in quibus quoddam sibi delictum constituerunt. Itaque si quis suspenditur à beneficio tantum, non censetur suspensus ab officio, vel ordinis ministerio, can. 32. & 39. dist. 50., cap. 2. de Cler. non ord. min., ideoque adhuc eligere poterit, imò & beneficium resignare, ac permutare, propterèa quòd suspensio à beneficio non privet ipso beneficii jure, sed tantum à commodis beneficii temporalibus arceat, cap. 7. de elect. Tantum prohibetur suspensus, ne fructus percipiat, ne bona & jura beneficii administret, neve bonorum beneficiariorum causa in judicio agat, aut excipiat, cap. 8. de dolo & cont., cap. 9. de except., dato interea auctoritate Prælati curatore beneficio eidem, ut sit, qui fructus colligat, & jura beneficii tueatur. Quòd si quis suspensus tantum à beneficio proponatur sui superioris auctoritate, ea suspensio tantum afficiet beneficium, quòd possidetur in Ecclesia, quam suspensus offendit, non cætera beneficia, cap. 37. & 44. de elect. in 6., nisi aliud in sententia exprimat, cap. 40. eod. in 6., Ex his omnibus nemo non intelligit causam, quare suspensio, magis quam cæteræ censuræ hodie in usu esse soleat, atque observari. Afficit ipsa tantum personas ecclesiasticas, easque, quæ ecclesiasticarum numero recensentur; proindeque ecclesiastici Prælati præsius & expeditius curare valent, ut hujus generis sententia executioni mandetur.

CA-

CAPUT VIII.

De interdicti censura.

Late admodum patet apud Latinos scriptores generale interdicti nomen, quòd tamen ecclesiastico jure singularem jamdiù significationem obtinuit ad certam censuræ speciem significandam. Definitur autem censura, qua aliquo in loco, vel aliquibus personis, aut corporibus usus & administratio quarundam rerum divinarum prohibetur, cap. 5. de consuet., cap. 1. de postul. Prælat., cap. 11. de sponsal., cap. 57. de sent. excom., cap. 20. de verb. signif. Triplex hodie agnoscitur interdicti species, personalis, localis, & mixta. Personale personas afficit; locale loca, id est civitates, oppida, templa; mixtum refertur & ad personas, & ad loca. Personale interdictum recentiore quidem formam accepit ex disciplina interdicti localis, attamen origine inspecta est antiquius locali. Siquidem personale interdictum facillè referri potest ad quasdam leviores excommunicationes, quæ olim erant in usu, uti sæpè superius dicendum fuit, eas, inquam, excommunicationes, quibus aliquis non ab universis, sed à quibusdam tantum Christianæ communionis juribus arcebat. Imago quædam personalis interdicti erat in primo penitentium gradu, qui arcebantur à cœtu Ecclesiæ. De sepultura ecclesiastica aliquibus denegata vetus est sanctio in can. 12. caus. 23. quast. 5. Qua in re observatur, non eandem perpetuò fuisse rationem denegandæ sepulturæ, modò enim denegabatur ita, ut quis ne sepeliretur quidem in loco sacro, modò ut sepeliretur quidem in loco sacro, sed sine celebritate, & omissa inter cætera psalmodia. Sepulturam in loco sacro absolute prohibitam fuisse patet in can. 32. caus. 23. quast. 8., in cap. 11. & 12. de sepultur., cap. 2. & 4. de statu Mo-

nach., cap. 3. & 5. de usuris, cap. 12. de penit. & remiss., cap. 7. de consecrat. Eccles., cap. 12. de privileg., cap. 1. de torneamentis, cap. 20. de sent. exc. in 6., Concilio Tridentino sess. 23. de Ref. cap. 19. Hæc communia sunt & excommunicationi & interdicto: aliquando verò concessam fuisse scimus sepulturam in loco sacro, sed sine solemnitatibus, cap. 11. de penit. & remiss., cap. 2. de raptor., atque hoc tantum interdicto congruere potest, prout à veteribus cum penitentia, vel leviori quadam excommunicatione confundebatur, ad eò etiam sepultura denegata quandoquæ fuerit iis, quibus morientibus denegata non fuerant Sacramenta; non enim, uti Sacramenta, ita sepultura ecclesiastica necessaria videri poterat, can. 16. & 17. caus. 13. quast. 2. Sed hæc vera olim erant, deinde tamen invecita disciplina interdicti localis, factum est, ut interdictum personale singularem naturam indueret ad similitudinem localis, & à censura excommunicationis omnino distingueretur. Illud adhuc remansit ad vestigium antiquæ disciplinæ, ut interdictum personale exemplo excommunicationis sequatur personam, quòcumque abierit, cap. 31. de præbendis, cap. 16. in fine de sent. excom. in 6., cap. 3. vers. *Excommunicatos* de privilegiis, ubi interdicti junguntur excommunicatis, licet aliud vigeat in interdicto locali, quòd locum interdictum minime egreditur, dicto cap. 16. in medio de sent. excom. in 6. Itaque interdictum personale illud dicitur, quod certas personas afficit, vel certum personarum genus, qua in specie traditur, in primis non facillè de uno personarum genere in aliud genus extendi; neque enim ex. gr. interdicto clero intelligitur interd-

dictus populus, aut è converso, cap. 16. de sent. excom. in 6.; deinde personas interdictio notatas, ut dictum est, ita teneri interdictio ubicumque inveniantur, ut etiam si interdictus esset populus, non singulares personæ, tamen unusquisque de populo interdictio subjaceat, quodcumque perrexerit. Equidem verum est, Universitatem à singulari de Universitate distingui, id tamen in interdictio minimè attenditur, ne sententia effectû careat, cum, ut ait Bonifacius VIII. in cap. 16. de sent. excom. in 6., divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo ut universis minimè competat.

Localis interdicti sunt qui antiquissimam disciplinam, sive usum, putant tamquam jam vigentem temporibus Basilii Magni, quod colligitur ex ejus epistola 144., ubi traditur, villam, quæ receperit raptorem & raptam, suspensam fieri à precibus, & orationum communione. Optima quidem argumentatio, si nomine villæ certus locus intelligeretur, non sola consciorum, & in crimine raptus communicantium familia, quemadmodum aliqui ex Interpretibus nostris intellexerunt, unâ observantes, agi ibidem de quadam excommunicationis specie, non de interdicti censura, atque ita etiam interpretantur canonem 8. caus. 17. quæst. 4. verbo *interdictio*. Verosimilius est, sexto primùm sæculo ejus censuræ usum invaluisse in iis causis, in quibus Ecclesiæ intererat ad avertenda publica scandala, & contentiones, rerum divinarum celebratione populo in certis sacris ædibus interdicere. Reverà non invenio in tota ecclesiastica antiquitate exemplum vetustius, quam quod profert Gregorius Turonensis in lib. 8. historiæ Francorum cap. 31. de sacris Rothomagensis Ecclesiæ ædibus propè finem sexti sæculi clausis ob trucidatum clandestinis insidiis S. Prætextatum Episcopum Rothomagensis, dum solenni Paschatis die sacra faceret, in cujus sceleris suspicionem universus propè

modum populus venerat. Idipsum deinde in more fuit sæculo nono, & sequenti, cum patroni Ecclesiarum inter se dissiderent, & designatis numero pluribus administris occasionem turbandis ecclesiasticis officiis præberent, uti legimus in can. 36. caus. 16. quæst. 7., cap. 1. & 2. de jurepatron. Sæculis autem undecimo, & duodecimo frequentiora cœperunt esse interdicta ob frequentiora, quæ emergebant in Ecclesiis schismata, uti liquet ex sess. 2. Concilii Lemovicensis II. anni 1031., & ex pluribus epistolis Ivonis Carnotensis, inter cæteras epist. 94. 111. 120., & 121. In Decretalibus Gregorii IX. mentio interdicti localis est in cap. 11. de sponsal., in cap. 3. de privilegiis, & in cap. 1. de postulat. Prælat. Itaque locale interdictum dici cœpit cum certa loca censuræ supponerentur ita, ut personæ in iis locis sacra non facerent, certis rationibus & modis adjectis, unde hæc censura directò in loca, indirectò in personas ferri videbatur, ac proinde personæ locum egressæ minimè tenebantur. Est autem duplex, vel generale, cum scilicet universæ Ecclesiæ civitatis, aut oppidi interdicitur, vel particulare, cum una tantum, aut altera Ecclesia interdicitur, non cæteræ in eodem oppido, aut civitate constructæ, cap. 11. de sponsal., cap. 17. de verb. signif. Animadvertendum es in hac re, interdictis generaliter Ecclesiis alicujus urbis, censeri quoque interdictas sacras ædes, quæ sitæ sunt in vicis suburbanis, seu locis adjacentibus, cap. 17. de sent. excom. in 6., imò & eas, quæ in urbe sunt à Diocæsani jurisdictione exemptæ, Clement. 1. de sent. excom.

Cæterum ea ipsa ætate, qua frequentiora localia interdicta esse cœperunt, non statim apprimè constituit, quinam essent horum interdictorum effectus. Ex eo id evenit, quod olim sub excommunicationis nomine quæcumque interdicta, sicuti & censuræ cæteræ, veniebant, & plurimum pendebat ex arbitrio Prælati in

infigendis censuris modò unum, modò alterum, modò plura ex iuribus Christianæ communionis auferre. At deinde in certam formam ac methodum redactis censurarum rationibus, discretisque censuris in tres veluti species, excommunicationem, suspensionem & interdictum, cap. 20. de verb. sign., certi effectus designandi erant, qui interdicto convenirent; & quando censura interdicti localis aut gravior erat, aut sæculo undecimo, & duobus sequentibus frequentior; censura interdicti personalis, certa primùm forma indi cœpit locali interdicto, non quidem statim integra, sed paulatim, & sensim, prout res inciderent, & Ecclesiarum utilitas postularet. Regula generalis erat, ut in locis, sive Ecclesiis interdictis nulla Sacramenta conficerentur, aut administrarentur. Tantum initio exceptio erat in Sacramento baptismatis, quod parvulis, & in Sacramento poenitentiae, quod in vitæ discrimine constitutus concedebatur, cap. 11. de sponsal. Deinde cum perpendere, Sacramentum confirmationis esse quandam baptismatis veluti perfectionem, ac complementum, permissum est, ut exemplo Sacramenti baptismatis etiam Sacramentum confirmationis administraretur, cap. 43. de sent. excom., juncto can. 3. de consec. dist. 5., quamobrem etiam permittendum fuit, ut sacrum chrisma conficeretur, cap. 19. de sent. excom. in 6. Insuper statuit Innocentius III., ut morituri sacro Eucharistiæ viatico refici possent, cap. 11. de poenit. & remis. Adjectit Bonifacius VIII., ut Sacramentum baptismatis etiam adultis petentibus non denegaretur, cap. 19. de sent. excom. in 6., imò & poenitentiae Sacramentum etiam extra casum necessitatis, cap. ult. eod. tit., quod sanè olim tantum indulgebatur aut iis, qui singulare privilegium obtinuissent, vel in locum interdictum ex alia Ecclesia advenissent, cap. 11. in fine de poenit. & remis. Quod attinet ad ecclesiastica, & religiosa officia, ea omnia interdicta

fuerunt, nisi singularis ratio, aut expressa constitutio quadam exciperet. Singularis ratio postulavit, ut non obstante interdictio divini Evangelii prædicatio fieret, utpotè à qua ne excommunicati quidem arcerentur, uti diximus superius. Singularis constitutio permisit, ut sepultura in loco sacro concederetur Clericis, qui tamen interdictum non violavissent, dummodò sine ulla solemnitate cadavera tumulerentur, cap. 11. de poenit. & remis, juncto can. 12. caus. 23. quæst. 5., respectu laicorum antiquo jure servato, juxta capitulum 3. vers. *Quid si* de privilegiis. Permissum quoque fuit, ut divina officia fierent, demissa tamen voce, & januis clausis, quod olim Regularibus tantum, aut Collegialibus Ecclesiis, aut Episcopis indulserat Innocentius III. in dicto cap. 11., & cap. 25. de privileg., deinde ad Ecclesiis omnes extendit Bonifacius VIII. in dicto cap. ult. de sent. excom., qui & ibidem addidit, in diebus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ, & officia solemniter celebrari posse, & sacra dispensari. Martinus V., & Eugenius IV. idipsum servandum esse voluerunt in festo, & per totam octavam Corporis Christi juxta institutionem Clementis V. in cap. un. de reliq. & vener. Sanct. Fuerunt etiam aliquando, qui ex Sedis Apostolicæ privilegio poterant occasionem præbere, ut, cum ad locum interdictum accederent, sacra solemniter semel celebrarentur, cap. 24. de privileg., quemadmodum & gratia Episcoporum inductum fuit, ut non obstante interdictio privatum altare habere possint, in quo sacra faciant, vel sacris adsint, cap. ult. de privileg. in 6. Liquet ex his, memoratas exceptiones ex necessitate quadam fuisse concessas, aut saltem ex utilitate gravissima fidelium, ne forte omissis universis divinis officiis, aut ministeriis in aliqua urbe vel oppido divinarum rerum cultus & veneratio poenitus cesseret, & tepescat fidelium religio, aut poenitus extinguatur. Quamobrem

minimè dubito, laudatas exceptiones tantum locum habere, ubi universa Ecclesiae civitatis, aut oppidi interdictio supposita fuerint, non verò ubi una, vel altera tantum Ecclesiae, quia haec in specie aliae Ecclesiae supersunt, in quibus divinis vacetur, cap. 11. de privileg., atque ob hanc ipsam causam constitutam puto in cap. 10. de sent. excom. in 6., absolutionem ad cautelam in generali interdictio non prodesse, propterea quòd in generali interdictio adhuc ea fieri possunt, quae aut necessitatis sunt, aut gravis utilitatis.

Post constitutam disciplinam interdictorum localium, eidemque certam inditam formam, clarius adparere cepit, quinam effectus essent interdicti personalis, aut mixti. Ubi est personale interdictum, qui interdictus est, excluditur à divinis, & sacris juribus: exemplo illorum apud veteres excommunicatorum, qui interdicti ab ingressu Ecclesiae dicebantur, quasi in primo poenitentium gradu collocati, can. 8. caus. 5. quest. 6., can. 11. caus. 13. quest. 2., can. 10. 11. caus. 17. quest. 1., can. 19. caus. 17. quest. 4. Hinc ab ingressu Ecclesiae arceri interdicti dicuntur, & sepultura ecclesiastica morientes privati, cap. 12. & 13. de poenit. & remis., cap. 6. §. ult. in fine de homicid., cap. 31. de praebend. Et quamquam nonnullae exceptiones receptae paulatim fuerint in interdictio locali, ea tamen in interdictio personali locum non habent, propterea quòd in interdictio locali multa personae sunt innoxiae, & quae interdictio causam non praebuerunt, quarum singularis habenda ratio erat, ut certa privilegia concederentur. Tantum interdicti admittuntur ad evangelicam praedicationem, quae nec denegatur excommunicatis; admittuntur insuper ad orationes in Ecclesia faciendas, quo tempore publicus ad eas non fit fidelis populi conventus; tum demùm autem admittuntur ad Sacramentum poenitentiae, cum Ecclesiae satisfecerint, aut de satisfaciendo

ju rejurando cavérint, cap. ult. de sent. excom. in 6., juncto cap. 3. vers. Excommunicatos de privileg. Non prohibentur tamen interdicti agere in jure, cap. 23. de verb. signif. in integra Decretali. Quòd si agatur de interdictio mixto, eo scilicet, quo certa loca sunt interdictio supposita, & nominatim aliqua persona interdicta, obtinuit, ut ratione locorum ea omnia observentur, quae superius diximus in interdictio locali; persona autem nominatim interdicta habentur, ac si respectu ipsarum personalis fuerit censura. Tantum ex dicto cap. ult. de sent. excom. in 6. viget, ut cum quandoquò in loco interdictio sacra fieri conceditur, excludantur quidem interdicti ab eisdem sacris generaliter, admittantur tamen in certis majoribus solemnitatibus ibidem designatis, dummodo tunc si *Sacra Altari nullatenus appropinquent*. Quòd si privilegium alicui concedatur, ut tempore interdicti localis ab interdictio in aliquibus dispensetur, haec dispensatio minimè proderit illis, qui occasionem, aut causam interdictio dederint, cap. 11. de privilegiis; & cum absolutio indulgentia sit ab interdictio locali, haec minimè proderit personis nominatim interdictis, nisi ista specialiter satisfecerint, aut de satisfaciendo praestiterint cautionem, dicto cap. ult. de sententia excommunicationis in 6.

Si omnes possunt interdictum ferre, qui generaliter queunt censuras infligere; atque ideo interdictum modò abs jure inferitur, modò ex sententia judicis. Exempla interdicti localis abs jure inflicti sunt in cap. 3. in fine de privilegiis, & in cap. 1. de sepult. in 6. Exempla interdicti personalis juris potestate inflicti sunt in cap. 9. de offic. ordin. in 6., & in cap. 8. de privileg. in 6. Ex sententia judicis inferitur ab eo, qui jurisdictione pollet, atque ob hanc causam improbatum fuit factum quorundam Canoniorum, qui sine consensu Episcoporum sententiam interdicti protulerant, cap. 22. de his, quae fiunt à maj. part. Capituli

— Sin-

Singulare illud obtinet, in localibus interdictis, ut ob alienum crimen etiam innoxii una cum reis censura subjaceat possint, cap. 9. de jurejur., cap. 11. de sponsal., cap. ult. de sentent. excom. in 6., extravag. 2. eod. tit. int. com., quod sanè sicut in causa fuit, quare mittitur, atque indulgentius cum iis agi solet juxta constitutiones modò laudatas, ita continere Antistites debet, ne faciles sint in ea censura inferenda, ac praesertim ne interdictum inferant ex causa pecuniaria, licet enim aliquando id fieret, dicto cap. 9. de jurejur., dicto cap. 2. de his, quae fiunt à maj. part. Capituli, hodie tamen irritum foret, dicta extravag. 2. de sent. excom. int. com. Denique observatio dignum est, interdictum quidem personale iis omnibus modis delicti, quibus censura universae delentur; at si agatur de interdictio locali, receptum esse, ut, si favore quorundam interdictum latum fuerit, & illi, quorum gratia latum est, censuram minimè servent, tacite abolitum censeatur, cap. 20. de privileg.

Ad censuram interdicti proximè accedit, quae à nostris appellatur cessatio à divinis, de qua ait Panormitanus intelligendum esse capitulum 11. de sponsal., falsò tamen, cum ex veteribus collectionibus liquidò constet, ibidem agi de vera interdicti censura. Haec cessatio à divinis sanè distincta ab interdicti censura nihil aliud est, quam non factum

CAPUT IX.

De solemnitatibus, & modis in ferenda censura observandis.

In ferendis censuris multa praecipua habenda sunt. Potissimum autem nullus alius esse debet hinc ecclesiasticis Antistitibus, quam Dei gloria, fidelium salus, expiatio peccati, emendatio rei, & scandalum reparatio; quamob-

quoddam, consistens in mera abstinentia à rerum sacrarum ministerio, & divinis officiis. Fiti autem aut ex juris potestate, quod contingit, ubi Ecclesia dicitur polluta, vel auctoritate ecclesiasticae Superioris, sive Concilium Provinciale, aut Dioecesanum sit, sive Episcopus, sive etiam ex conventione Canoniorum, aut Clericorum, ubi id receptum fuerit, aut privilegio fuerit, ad repensandam injuriam Ecclesiae factam, cap. 55. de appellation., cap. 13. de offic. ordin., cap. 2. 8. eod. tit. in 6., Clement. 11. de sent. excom. Differt à censura interdicti, quòd in primis cessatio à divinis nullibi censuræ nomine appellatur; secundò, quòd non ex positiva sententia proficiscatur aliquid positivum jubentè, sed tantum ex mera detractione peragendi ecclesiastica ministeria, eadem ratione, qua aliud esset, judicem pronuntiat sententia aliquem diminare, aliud, in alio in alicujus causa sententiam pronuntiare; tertio, quòd ea cessatio revocatur etiam sine ulla absolutione, & sola satisfactione; quarto, quòd interdictum locale generale certas habeat juris relaxationes, uti superius addotatum est; contra quam contingat in cessatione à divinis; quinto, quòd violatio cessationis à divinis neminem faciat irregularem. Ut paucis dicam, interdicti censura magis in jure, cessatio à divinis magis in facto consistit.

— Quod

Quod ad solemnitates attinet in ferendis censuris observandas, multum interest, an agatur de censura lata sententia; qua nimirum ex legis potestate infligitur, an agatur de censura ferenda sententia, qua nimirum pendet ex iudicis factio. Si sermo sit de censura lata sententia, eas requirit solemnitates, & modos, qui requiruntur in edendis quibuscumque legibus; hinc esse debet iusta, & æqua, ab eo lata, qui legum ferendam facultatem habet, & modis legitime promulgata. Singulare est in hac censurarum specie, ut speciali mentione opus non sit; instar enim mentionis est lex ipsa, quæ censuram infligit ipso facto inurendam, uti superius demonstratum est, cap. 2. de sentent. excom. in 1. collectione. In censuris ferendæ sententiæ observatur, istas triplicis generis esse, vel enim sponte à Prælatiis inferuntur pro prædicti arbitrio ex iis; quæ incidunt, quæque censura expedit emendari; vel ideo feruntur ab Ordinario quia abs jure communi certis in casibus Ordinario eidem præcipitur, ut ad infligendas censuras deveniat; vel denique eatenus pronuntiantur ab Ordinario, quatenus ipse declarat, aliquem incurrisse censuram inflictam abs juris potestate. Ut plurimum solemnitates illæ, quæ in iure præstuntur in ferendis censuris, spectant censuras illas, quæ dicuntur ferendæ sententiæ; quod quemadmodum obtineat, perspicue, quoad fieri possit, explicandum est.

Quædam communia sunt, sive inferatur censura ex libera Prælati voluntate, sive ex juris præscripto, sive eatenus tantum, ut declaratur, quemquam incurrisse censuram. Debet in primis id fieri in scriptis, & coram testibus, cum expressione causæ; & concessione exemplaris intra mensem; si requiratur, ab eo qui censura notatus est; can. 9. caus. 2. quest. 1. & cap. 1. de sent. excom. in 6. Deinde censuræ notatorum nomina debent publicè promulgari, ut unusquis-

que intelligat; qua ratione sit cum notatis agendum, can. 20. & 106. caus. 1. quest. 3. cap. 3. de exception. & quamobrem olim etiam vicini Episcopi consilii de eadem censura per Epistolam reddebantur, ne notatos contra modum censuræ reciperent, dicto can. 106. caus. 1. quest. 3. Hodie si delictum sit publicum, id est omnibus notum, fit publicè denuntiatio; cap. 1. de appellatione, cap. 24. de regular. imò & potest eadem denuntiatio iterari, ubi id postulet vel publica, vel privata notati utilitas, dicto cap. 24. de regular. Clement. 1. de penis. Modus denuntiandi arbitrio Ordinarii relictus est; sit autem ut plurimum ad valvas Ecclesiarum aliquando etiam in gravioribus causis cum affixione sententiæ in pluribus locis. Generaliter autem remissa necessitate denuntiandi in pluribus locis, præsertim verò pendendi nomina eorum, qui censuræ notati sunt, vicinis Episcopis, sufficit, publicari censuram illis; quorum interest, can. 7. dist. 18. cap. 25. de accusatione, Concilio Tridentino ses. 24. de Reform. cap. 1. & si censura notatus non sit dicecanus, manifestari debet datis litteris censuræ illatio Episcopo dicecesano; cap. 1. de raptoribus. Nulla tamen est singularis forma pronuntiandæ censuræ, & ideo quibuscumque verbis, dummodo rem liquidò explicantibus, concipi potest, cap. 15. de verborum signif. Communè quoque est censuris universis, quod censura notandus, reus saltem sit maxime negligentia, quæ dolo proxima sit, & spreti gravis ecclesiastici præcepti, cap. 3. de raptoribus. Denique debet excommunicationis sententia esse non conditionalis, sed certis, & ob factum præteritum; nimirum si agatur de censura ferendæ sententiæ, quæcumque ista sit, perspicuum est, crimen antea esse debere admissum; si agatur de censura, quam quis incurritur ex juris potestate, iudex non primùm sententia sua id declarat; quam constat, crimen admissum fuisse, in Tabular. 26. 191. ubi

Qua-

Quædam singularia sunt, ubi tantum proceditur ad declarationem inflicte censuræ, ex juris potestate. Huiusmodi est citatio rei, probato delicti, & quo casu aperta non sint criminis probationes, sed tantum urgeant conjecturæ aut suboriantur præsumptiones; non erit reo de agenda purgatio cap. 4. de sentent. excom. supponit privilegium ad illud. Quædam singularia sunt, ubi lex infligit Ordinario, luti causa; quorundam criminum Ordinarium deveniat ad inferendam censuram. In primis si canones designaverint expressè censuræ speciem, quæ sit infligenda; satis erit, iudicem pronuntiare generalibus verbis, reum censuræ abs jure indictæ subiecti. Quod si jus generaliter constituerit, quemquam reum esse censuræ notandum, ad iudicis arbitrium pertinebit pro arbitrio suo censuræ speciem definire. Neque fortè dicatur, in dubio decernendam necessariò esse censuram omnium mitissimam, quasi in penis inferendis lenior semper debeat esse sententia. Etenim in proposito non versaretur iudex in dubio juris, sed certam omnino juris sententiam sequeretur. Tantum videretur jus indefinitum in censuræ specie, sed cum id ideo factum præsumatur, quod leges voluerint iudicem ad criminis adiuncta respicere, & juxta ea modò levioram, modò gravioram censuram inferre, sententiam ipsam juris sequetur iudex, si etiam unam ex gravioribus censuris inferat; ubi causa ita postulaverit, argumento capituli 1. de sortileg. in 1. collectione. Præterea multum discriminis intercedet, an iudicium ab accusatione, an à denuntiatione, vel inquisitione ceperit. Si ceperit iudicium ab accusatione, quoniam iudex tenetur sequi legis præscripta, tenebitur servare iudicii formam, id est necessaria erit citatio, & delicti probatio, imò & debet damnare reum omnissimis quibuscumque mentionibus, ut non sit pernicax in crimine; nisi censura in iure proposita sit contumacia causa. Quod si iudicium ceperit à denuntiatione, vel ab inquisitione, quia tunc

pena criminis modum accipere potest ab arbitrio iudicis; cap. 1. r. de accusat. ita moderari singula poterit, aut debet, quemadmodum agetur in ferenda censura spontè, & ex prudenti arbitrio. Plura sæpe singularia sunt, ubi censura spontè sit ab Ordinario inferenda præter legum sanctionem. Quæ in re distinguendum est, an censura inferenda sit per modum præcepti, an per modum sententiæ. Si ferenda sit per modum præcepti, debent eas omnes solemnitates servari, quæ servantur in lege, proportionè habitæ nimirum quemadmodum lex de communitati promulgatur ita præceptum notum esse debet privato; can. 17. dist. 18. cap. 25. de accusatione, Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 1. postquam verbis præceptum violaverit, & censuram incurserit, cum adhuc superest declaratoria sententia respectu huius sententiæ ea omnia observanda sunt, quæ observanda esse modò dicebam in declaratione censuræ, quam quis ex potestate generalis legis incurrit. Si censura inferenda sit per modum sententiæ, iterum distinguendum erit, an inferenda sit causa perpetrati criminis; quæ ratio habetur superius, vitam, quam reus extenditorem pollicetur; an ideo; ut reus contumax & in crimine pernicax in posterum abstineat. Si inferenda sit ex causa perpetrati delicti, tunc opus est citatione, postquam res comparente delictum in iudicio probetur; & quidem citatio personalis rei requiritur, si de censura personalis sit sermo; can. 12. caus. 2. quest. 1. can. 2. caus. 15. quest. 5. cap. 3. de appellatione, Clement. 1. de privileg. Hinc allegari poterunt à reo, & probari debentur aut exceptiones; aut excusationes, si quas habet; & non nisi probato crimine censura infligetur. Quod si sermo sit de censura locali, citandæ erunt personæ loci in quo crimen admissum est; ut inde constet de causa promouendi; In notoriis aliud observandum videretur, cum ista probatione non indigeant; sed quan-

quando multa notoria dici solent, quae verè talia non sunt, cap. 14. de appellatione, ideo cautius procedendum videtur, ut nunquam censura inflicta dicatur, nisi certò constet de crimine. Haec vera sunt, aut eum in iure expressè mandatur Ordinario, ut in poenam admissi statim ad censuram deveniat, aut cum delictum adeo enorme est, ut Ordinarius prudenter extra ordinem arbitretur statim censuram infligere ad terrorem cæterorum, can. 30. ex apostolicis, can. 18. 20. caus. 2. quæst. 1. 3. can. 21. caus. 12. quæst. 21. can. 37. caus. 161. quæst. 7. cap. 26. de appellat. cap. 3. de insti. cap. 1. 13. de sent. excom. in 6. Concilio Tridentino sess. 25. de Ref. cap. 14. 3. *Episcopi*. Quod si censura infligatur causa emendationis rei, sive ideo ut reus in futurum absteat, tunc opus est mentione, sed mentione etiam in scriptis facienda, can. 22. dist. 81. can. 21. caus. 12. quæst. 2. cap. 16. de foro compet. cap. 24. de regular. cap. 3. de Cler. excom. & quidem tria monitione, can. 30. 31. ex apostolicis, can. 29. caus. 24. quæst. 1. cap. 5. 9. de sent. excom. in 6. designato certo termino; inde regula est, hujus generis censuras tantum ferri in contumaces, can. 22. dist. 81. cap. 5. caus. 16. q. 7. cap. 2. 3. 4. 6. de cohabit. Cler. & mul. can. 8. 9. 14. 16. de vita & honestate Cleric. quod fundamentum habet vel ipso in Evangelio, cap. 18. vers. 15. 16. Matthæi. Fateor tamen, aliquando pro tribus monitionibus unam tantum peremptoriam fieri potuisse, cap. 6. de sent. excom. in 6. exemplo edicti peremptorii apud Romanos veteres, de quo in l. 68. §. 70. & 72. ff. de judiciis, iuncta l. 53. §. 1. ff. de re judicata. Sed hic disciplina rigor modum accepit ex sanctione Tridentini Concilii in sess. 25. de Ref. cap. 3. ubi statutum est, ut duæ saltem monitiones, præcedere debeant, quod tamen locum habere tantum videtur in sententia excommunicationis, de qua tantum conceptum est Tridentinum decretum.

Itaque quandoquæ contingit, ut censura etiam sine monitione inferatur, quod non solum verum est, ubi quis ipso iure in illas incurrit, sed etiam ubi sint abs iudice infligenda, cap. 1. de fidejussor. cap. 17. de decim. cap. 9. de celebrat. Missar. cap. 2. de statu monach. cap. 16. §. *Gaverrus* de elect. in 6. Singulare quoque est in ea suspensionis specie, quæ censura non est, sed providentia quadam, quæ Consultatur decori sacrorum, uti superius est observatum in cap. 7. ut eo casu neque citatio opus sit, neque monitione; argumento capituli 4. & 5. de simonia. Cæterum in ferendis censuris ex sola probatione delicti admissi, omnia monitione, maximè semper opus est circumspicione, nec ad eas deveniendum, nisi gravissima urgeant cause. Neque enim Episcopus excusaretur, si tantum allegaret generalem legem, quæ cavetur, ut certis in casibus censura inferatur, siquidem censura ferenda sententia à lege indicta habere plerumque solent tacitam conditionem, si reus non se emendet, si reus non satisfaciatur, si causa gravis urgeat, can. 7. caus. 33. quæst. 4. Imò & aliquando prudentissimè, qui prorsus à censuris absteat, ubi ex censura illatione grave potius detrimentum, veluti schisma, evenire posse conjiceretur, can. 19. & 32. caus. 23. q. 4. Ex eodem principio fuit, ut cum censuram illatio ab arbitrio Ordinarii pendet, nisi de atrocissimis criminibus agatur, gradatim sit procedendum, & primò minores, deinde crescente contumacia majores censuræ inferantur, can. 8. dist. 54. can. 4. dist. 81. can. 2. dist. 34. cap. 8. de dolo & contumacia, præsertim verò si ageretur de censuris adversus Prælatos Ecclesiæ inferendis, cap. 2. de offic. jud. deleg. in 6. Concilio Tridentino sess. 13. de Ref. cap. 1. vers. *Sin autem*. Quamquam verò non repugnet, eandem personam posse notari pluribus censuris ejusdem speciei, quarum diversi effectus sint, seu ob plura delicta, sive ob unum delictum scriptis

admissum, can. 24. ex apostolicis, can. 27. 42. de sent. excom. cap. 1. de eod. tit. in 6. Clement. 2. eod. extr. tit. de schismat. juncto cap. un. eod. tit. in 6., nemo tamen debet statim omnibus censuris notari, sed successivè, incipiendo à minore, donec ad majores deveniatur, can. 6. 7. caus. 11. quæst. 3. cap. 10. de judic. cap. 12. de Cler. excom. ministr. Neque observat extravagans 3. de privileg. int. com. ubi simul & semel & excommunicatio, & suspensio, & interdictum infligitur, siquidem ibidem inflicta excommunicationi major censuræ adjecta autem fuere nominatè & suspensionis, & interdicti, ut pressius significarentur excommunicationis majoris effectus, cum suspensio & interdictum, etiam si expressa de his mentionem non fuisset, in excommunicationis majoris censura contineantur. Spectant hæc omnia censuras universas. Singulares quadam sunt solemnitates in majore excommunicatione observanda. Olim hæc excommunicationis sententia ab Episcopo unà cum duodecim Presbyteris pronuntiari solebat, can. 106. caus. 11. quæst. 3. Hodie tamen aut solus Episcopus, aut etiam unus Sacerdos ex Episcopi mandato eam profert. Item recepta est duplex ratio excommunicandi, videlicet simplex, quæ nullam habet certam determinatamque formulam, & solemnitas, quæ fit cum magna celebritate, cum maledictis & execrationibus, & fulminatio à Pragmaticis appellatur. In hac viget, ut excommunicans cereum præ manibus teneat unà cum adstantibus Clericis, illumque pronuntiata sententia in terram projiciat, strepitus etiam fiat campanarum, ac sil mortuum esse illum significetur, qui excommunicatus. Videantur in hæc rem, præter recentiora Pontificalia, canon 64. dist. 50., canon 106. caus. 11. quæst. 3., cap. 12. de sent. excom. in 1. collectione.

Gravis nunc sequitur disputatio, cum quaerendum sit, quibus in casibus, ubi

omissa fuerint inferendarum censurarum solemnitates, & modi, censura injusta sit, quibus in casibus irrita, quamquam enim omnis censura irrita sit, non tamen è converso omnis censura injusta irrita est, can. 5. caus. 1. quæst. 4. can. 11. caus. 2. quæst. 1. can. 460. 47. caus. 2. quæst. 3. Tres ego causas esse, ob quas censura irrita sit, primò ex defectu jurisdictionis, secundò ex defectu animi, tertio ex defectu formæ abs jure præstituta, sive solemnitate, quæ essentialia à Pragmaticis appellantur. Irrita est ex defectu jurisdictionis, quotiescumque pronuntiatur ab eo, qui vel nullam omnino habet jurisdictionem, vel non habet ullam jurisdictionem respectu ejus, qui censura notatur, vel desit habere jurisdictionem in certa causa, uti contingit in iudice, à cuius sententia appellatio interposita est, atque apud superiorem introducta. Hæc omnia facile probantur ex cap. 4. 5. 6. 7. dist. 2. 11. ex tota ferè questione 2. caus. 9. ex cap. 22. de offic. legati, ex cap. 15. & 38. in fine de offic. deleg. 4. cap. 12. de privileg. cap. 3. 7. de appellatione, & cap. 20. de constit. in 6. Ex defectu animi irritam dico censuram, quæ lata fuerit ab amante, à metu vel vi adacta, similibus ratione à periculo calore iracundia, aut ab ebrio, argumento can. 89. caus. 11. quæst. 3. cap. 4. de his quæ vi metusq. caus. cap. 1. 7. de convers. conjug. aut etiam ab eo, qui errat in persona, putans ex. gr. notare Cajum cum Titium notat. Si de defectu formæ, seu solemnitatum quaeratur, tota questio reducitur aut ad defectum citationis, aut ad defectum monitionis. Quæ in re distinguenda sunt, censura à censuris, uti enim superius notandum fuit, alie neque citationem, neque monitionem requirunt, alie citationem non monitionem, alie monitionem, non citationem. Quibus in casibus neque monitio, neque citatio necessaria est, frustra diceretur vitiosam esse censuram, qua

quæ utraque destitueretur. At quibus in casibus necessaria citatio est; adeo verum censeo censuram irritam esse, si citatio omittatur, uti verum est, sententiam quamcumque judicialem ex pari defectu irritam dici; ac similiter concludendum erit, ubi citatio quidem facta fuerit, sed illegitimè, cum citatio illegitima nunquam vera citatio dicatur, cap. 8. de major & obed. In iis autem casibus, in quibus monitio necessaria est, si fortè hæc omittatur, irrita sententia habebitur. Equidem olim ante Concilium Lateranense Innocentii III. id venire in dubium potuisset; siquidem deficiente monitione non posset reus criminis dici contumax, proindeque deesse causa excommunicandi, quæ in proposito non alia esse posset, quam contumacia. Verùm Lateranense Concilium aliter statuit in cap. 48. in princip. de sent. exc. ubi prohibetur, ne quis excommunicetur monitione non præmissa, & contra excommunicantem certæ pœnæ indicuntur, etiam si justa fuerit excommunicationis sententia. Hæc verba Lateranensis Concilii perspicuè indicant, justam dici posse, adhuc excommunicationem, utut monitio omissa fuerit; igitur cum aliàs decernatur, monitionem necessariam esse, monitionis omissio non injustam, sed irritam sententiam faciet. Id magis magisque explicatum est à Concilio Lugdunensi in cap. 31. de sent. excom. in 6. ubi præcipitur, ut non aliàs ad inferendam excommunicationem deveniatur, quam ubi præcesserit monitio, & subijcitur: *Aliter autem excommunicatio prolata non teneat.* Equidem fateor, in hisce Decretalibus tantam de excommunicatione agi: at observandum est, quæ de excommunicatione statuta sunt, facile trahi posse ad cæteras censuras, sive quòd olim sub excommunicationis nomine cæteræ censurae veniebant, sive quòd ita statutum est in cap. 1. de sent. excom. in 6. Neque in contrarium dicas, in dicto cap. 48. de sent. excom. sententiam irritam minimè adparere, cum

ibidem præcipiatur, excommunicationem remittendum esse, ut à censura absolvatur; facile enim reponitur, hæc clausulam pertinere ad alteram canonis partem, quæ cavetur, ne quis sine causa excommunicetur, non ad primam partem, quæ statuitur, monitionem præmitti oportere, uti ex toto canonis contextu intelligitur. Deficiet quoque censura sententia in forma sive solemnitate, si non proferatur in scriptis, si causa non exprimitur, & si exempla scripturæ non tradatur intra mensem; quoties fuerit requisitum, ac proinde tunc etiam irrita erit dicta censura sententia, quòd primùm statuit Lugdunense Concilium in cap. 1. de sent. excom. in 6.; ubi non dicitur absolvendus, qui contra hanc formam fuerit censura notatus, sed statuitur, eandem sententiam sine difficultate esse auctoritate superioris relaxandam. Extra hos omnes casus censura nunquam irrita est, sed poterit esse injusta, veluti cum aut sine causa illata fuerit, aut cum causa quidem, sed minimè gravi, non legitima, nec sufficiente, aut ex errore juris, vel facti, can. 11. caus. 2. quæst. 1., can. 32. 33. 35. 41. 42. 43. 46. 50. 53. caus. 11. quæst. 3.; can. 4. caus. 24. quæst. 1., cap. 3. de restit. spol., cap. 7. §. sanè, §. potest, & §. similiter de sent. exc. in 6.; extrav. 2. eod. tit. Exceptio est singularis in extrav. 2. de sent. excom. int. com., cujus vi interdicta quedam localia ob pecuniarias causas inflicta non omnino momento consistunt. Potest etiam aliquando censura injusta esse ex parte notantis, quin sit injusta ex parte notati, quòd contingit, cum Prælati justam habens excommunicandi causam, non ex ista censuram inferret, sed quodam motus privato odio, quam affectionem non nisi à pravo iudice in sententiis exerceat, jamdiu notabat Seneca in lib. 1. de ira cap. 9. & 10. At de hac injustitia in foro externo Ecclesie non queritur, & divino iudicio relinquitur, ubi aliàs justa esse sententia videretur.

Si censura sit prorsus irrita; seu tanquam irrita à notato allegetur, nihilominus servari à damnato debbit, quousque irrita declaretur auctoritate superioris, ex quo fit, ut dum hoc iudicium pendet, adhuc ad cautelam possit absolutio indulgeri, cap. 7. vers. *Sed si ex causis* de sent. excom. in 6. Exceptio est, nisi ita perspicuum sit, censuram esse irritam, ut nulla ne levissima quidem dubitatio esse possit, veluti cum quis censura notatur ab eo, cujus jurisdictioni nullo modo subest. Si sit injusta censura, apud homines quidem servanda est, donec sententia superioris cassetur, vel revocetur à ferente, can. 1. & 27. caus. 11. quæst. 3., can. 11. caus. 2. quæst. 1., can. 2. & 6. caus. 24. quæst. 3., interea tamen qui eam devoto animo patitur, occasionem habet merendi apud Deum, neque intimè dolere debet, propterea quòd apud Deum ex iniqua sententia monitus non ligetur, can. 46. 47. 49. 50. 51. 54. 89. & 90. caus. 11. quæst. 3., can. 4. & 7. caus. 24. quæst. 3. Hæc ratio est, quare Innocentius III. in cap. 13. de restit. spoliat. definoiverit, satis esse excommunicationem humiliter pati, quam parère iniquo superioris erranti præcepto, quemadmodum & def-

finiit in cap. 44. de sentent. excom. Qui injusta censura notatus est, dum apud superiorem proposita appellatio queritur, petere potest, ut injuria illata reparetur, & sibi satisfiat, & quidem contra eum, qui censuram intulit, duobus in casibus; primò, si is ex officio processerit, nemine postulante; secundò, si processerit ad tuenda jura sua, cap. 48. de sentent. excom., cap. 6. & 7. de sent. excom. in 6. At si iudex ecclesiasticus altero accusante, vel denuntiante ad eam censuram sententiam devenierit, contra accusantem, vel denuntiantem postulanda erit injuriarum reparatio, imò & pro facti adjunctis peti poterit, ut ille pœna arbitrio iudicis coëreatur. Regula est, quæ traditur, eum, qui abutitur potestate ferendarum censurarum, ea facultate privari debere, can. 60. 63. caus. 11. quæst. 3.; cap. 8. 23. de offic. ordinar., cap. 7. de sentent. excom. in 6.; imò & si bis monitus abuti pergat, poterit & ipse censura notari, can. 11. caus. 2. quæst. 1., can. 6. caus. 24. quæst. 2.; cap. 1. de excess. Prælati, aliquando etiam statim, & ipso iure subjacet per mensem sententia interdicti, quo casu servata non fuerit forma præstituta in cap. 48. de sent. excom., & cap. 1. eod. tit. in 6.

CAPUT X.

De censurarum effectu.

Multiplicari designari possunt censurarum effectus, quorum rationes ut in certam methodum redigantur, distinguendi initio sunt effectus illi, qui generaliter, censuris omnibus communes sunt, ab iis, qui sunt censuris singulis speciales. Deinde distinguendi effectus censurarum ferendæ sententiæ, ab iis, qui pendet ex censura ex juris potestate inflicta. Denique discernendi sunt effectus censurarum eo ipso, quo censura feruntur, ab effectibus censurarum, postquam istæ illatae fuerint, & contentum.

sententiæ ab ipsa sententiâ non distinguitur, nec post sententiâ ullo intervallo temporis prorogatur. Exceptio est in præcepto conditionali censuræ, si ex. gr. decreverit Prælati, ut quis ab aliqua re absteat, & si non abstinuerit, censuram incurrat; tunc enim si appellatio ab eo præcepto, & censuræ comminatione interponatur, nullum effectum inde exeret censura, dummodò conditio, sub qua censura illata est, non evenierit ante appellationem, cap. 40. de appellatione. Deinde in universis censuris generaliter verum est, ut ligent etiam apud Deum, dummodò justæ sint, can. 6. caus. 24. quæst. 1. Præterea in omnibus censuris obtinet, ut qui in una diocesi est censura notatus, habeatur notatus in Ecclesia universa, cap. 8. de offic. jud. ordinar. Siquidem censuræ privant honis Ecclesiæ non uti particularis, sed uti universæ. De censura excommunicationis ita expressè canones docuerunt, can. 82. caus. 1. quæst. 1., can. 7. caus. 7. quæst. 1., can. 2. 4. 26. 73. caus. 11. quæst. 3. De censura suspensionis concepti etiam sunt canones 11. & 12. ex Apostolicis, canon 26. caus. 11. quæst. 3. juncto cap. 1. & 2. de Cler. excom. ministr., & can. 24. caus. 7. quæst. 1. De censura interdicti personalis idipsum verum est, quamquam exceptio sit in interdicto locali, utpotè quòd natura sua certo loco circumscribitur, cap. 16. vers. *Ceterum* de sent. excom. in 6. Exinde planè proflixit, quod in more apud veteres erat, ut nomina illorum, qui censura notati essent, præsertim excommunicatorum, nota fierent Episcopis, aut ferè omnibus, aut saltem vicinis, aut certè illis, quorum magis interesse poterat, can. 106. caus. 11. quæst. 3. cap. 1. de raptoribus. Insuper communè est censuris omnibus, ut quicumque cum eo, qui censura notatus est, communicat in iis, quæ censura prohibentur, & quidem post publicè factam denuntiationem, mereatur & ipse simili censura notari, si suæ conditioni

conveniat, aliàs alterius speciei censura, can. 14. caus. 16. quæst. 7. Plures in hanc rem edidit canones Burchardus in lib. 11. cap. 32. 34. 35. & 38. Observandum denique est, nullam censuram iis privare, quæ sunt ad animæ salutem, aut ad hominis vitam necessaria, can. 103. caus. 11. quæst. 3., nullam censuram, ne ipsam quidem majorem excommunicationem, privare jure excipiendi in judicio, cap. 8. 10. de except., & nullam censuram privare charactere sacramentali, qui indelebilis est; atque ideo potestatem ordinis non adimere, quamquam adimere possit ordinum executionem, quemadmodum explicari debent canones 2. 3. 4. & 5. caus. 9. quæst. 1.

Quid modò commemorem speciales singularum censurarum effectus? Omnes jam recensui superius, ubi de singulari censuris, excommunicatione, sive majore, sive minore, suspensione, interdicto actum fuit. Paucis tantum dicam, excommunicationem majorem privare universis juribus Christianæ communionis, imò & pluribus juribus aliis in societate exercendis. Adjicio, ex necessitate gravissima salutis animarum receptum esse, ut Sacerdos excommunicatus (potiore jure aut suspensus, aut interdictus) non valide tantum, sed etiam licitè, ubi alius Sacerdos desit, absolvat eum, qui est in mortis articulo constitutus, argumento canonis 52. caus. 16. quæst. 1. Concilio Tridentino sess. 14. de penitentia cap. 7. Notaverunt quidam, tanto olim fuisse in odio excommunicatos, ut qui eos occidisset, tanquam homicida in Romana Ecclesia non haberetur, can. 47. caus. 23. quæst. 5. At si accuratè iste canon expendatur, adparebit quidem, cum eo interfectore mitius actum esse, non eum ab homicidii crimine liberatum; quasi ordinaria homicidii poena eximeretur, at tamen extra ordinem certæ adhuc penitentia subjiceretur. Effectus excommunicationis minoris sunt privatio & ministerii, &

susceptionis Sacramentorum. Effectus suspensionis varii sunt pro diversis suspensionum speciebus, ita ut cum suspensio sit ab officio, privet jurisdictione in utroque foro, cum ab ordine, privet ejusdem ordinis executione, cum à beneficio, privet perceptione fructuum beneficij, imò & quacumque ejusdem beneficij administratione. Non memoro varios interdicti effectus, perspicue enim jam superius enumerati fuerunt.

Observandum quoque est discrimen, quod intercedit inter censuras, quas appellantur lætæ abs jure sententiæ, seu quæ ipso facto inferuntur, & censuras, quæ demùm ex sententiâ judicis infliguntur. In iis, quæ demùm sententiâ judicis infliguntur, etiam si ex juris definitione infligende mandentur, nullus est effectus ante sententiæ pronuntiationem, imò ante ejus publicationem; etenim usque ad publicationem imperfecta sententiâ est. Quæ in re distinguenda est publicatio sententiæ, quæ fit tantum, ut res sit nota, à publicatione solemnî, quæ fit, ut unusquisque sit conscius lætæ censuræ. Si tantum sententiâ publicata fuerit reo, non dum tamen ad omnium notitiam pervenerit, effectus censuræ habebunt tantum locum respectu notati, non respectu ceterorum, quod vigere cœpit post extravagantem *Ad evitanda* editam in Constantiensi Concilio. Id recipi debuit exemplo censuræ, quæ ipso jure infligitur, & dicitur lætæ sententiæ: nimirum ubi quis hanc censuram incurrit, statim se gerere debet pro censura notato; nihilominus tamen ceteri excusantur, si necdum censura publicata fuerit, quoties cum censura notato communicent, etiam in iis, quibus notato interdictum est. Quamobrem Clericus excommunicatus, non dum tamen denuntiatus, illicitè quidem, sed valide Sacramenta quæcumque administrabit, quasi in conspectu Ecclesiæ pro non excommunicato habeatur.

Superest nunc, ut singulares effectus persequar, qui non ex censura ipsa proficiscuntur, sed ex violatione censuræ,

quæ ex. gr. excommunicatus adhuc ea peragit, quæ sibi interdicta sint; quæ suspensus ea gerit à quibus est suspensio remotus; quæ interdictus interdicti censuram minimè servat. Delinquit in hac re tribus modis. Primò, quum is, qui censura tenetur, per longum tempus in ea contumax perseveret, quin devoto animo ab Ecclesia veniam petat; secundò, quum post censuram inflictam adhuc in crimine perseveret, ob quod fuit censura innodatus; tertio, quæ ea peraguntur, quæ censura prohibentur. Itaque in primis, qui per annum contumax in censura persistit, non fruitur beneficio absolutionis, quæ in rescriptis Pontificiis indulgeri solet rescripta Pontificia obtinentibus, juxta regulam 66. Cancellariæ. Item si de excommunicatione agatur, dicitur *insordescens*, qui proinde aut tanquam hæreticus, aut certè tanquam de hæresi suspectus judicatur, cap. 13. vers. *Credentes* de hæret. Concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. de Ref. Sunt qui putant, Tridentinum hoc caput non ad excommunicationem tantum, sed & ad ceteras censuras referri ob illa verba *censuris adnexis*. Verùm ex toto contextu liquet, tantum ibidem sermonem institutum fuisse de excommunicatione majore, ad quam eadem verba coercenda rectè interpretatione verba. Si de aliis censuris agatur, non desunt modi, quibus Antistes contumaciam puniant, procedendo ad graviores censuras, aut penas, argumento canonis 2. dist. 55. capituli 2. de Cleric. excom., & cap. 8. de ætate qualis, & ordin. præfic. Neque dicas, in dicto cap. 8. Clericos gravius fuisse coercitos, qui non per annum tantum, sed per triennium in censura mansissent, quòd enim triennium ibidem memoratur, ad factum pertinet, non ad jus, & quamquam nonnisi post triennium ad penas deveniunt sit, deveniri tamen ad eas poterat statim post annum. Secundò, quicumque post censuram ita delinquit, ut in eo crimine, ob quod notatus est, perivax perseveret, gra-

viore adhuc censura plectendus est, aut si jam gravissima illata fuerit, ad pœnas deveniendum pro prudenti superioris arbitrio, ac si actus prohibitos eliciisset, ut modò erit adnotandum. Tertio, si ita delinquatur, ut ii actus fiant, quibus vi censura interdicitur, obtinet, ut quæcumque sunt in censura contemptum, in irritum penitus cadant, uti contingit in eo, qui interdicti censuram negligit, ac contempnit, cap. 18. de privileg. Præterea, quicumque violat censuram alienam, id est communicat in vitis cum eo, qui censura tenetur, & ipse aliqua censura coërectur pro modo admissi, cap. 3. de usuris, cap. 2. de raptor., cap. 2. de hæret. in 6., Clement. 1. de sepult. Insuper si violetur non aliena, sed vel propria censura personalis, vel censura localis, imminet ipso jure violanti pœna irregularitatis, can. 6. 7. caus. 11. quest. 3., cap. 1. de postul. cap. 12. 14. 18. de homicid., cap. 1. 5. 6. 9. de Cler. excom. min., cap. 47. de sentent. excom., cap. 1. in fine, cap. 18. §. 1., cap. 20. eod. tit. in 6. cap. 1. de sent. & re judic. in 6. Atque id in censura personali adeo verum est, ut locum habeat, etiam si notatus non sit publicè denunciatus, propterea quod ob non factas publicas denuntiationes excusantur quidem ceteri, si cum notato communicent, non excusatur ipse notatus, qui conscius est censuræ, qua tenetur. Dixi aliud vigere, si quis non omnino servet alienam censuram personalem, veluti si Sacerdos divina celebraverit excommunicato præsentem; siquidem nullam in hac specie imminere irregularitatem declaravit Bonifacius VIII. in cap. 18. princ. de sentent. excom. in 6. Sed de hac re uberior agendum erit inferius, ubi de irregularitatis pœna disserendum. Sunt & alia coëctiones, & pœnæ adversus eos, qui violant propriam personalem, aut

localem censuram: videlicet laici excommunicatione etiam plectuntur, quo casu interdictum violaverint, aut anathemate, quo casu excommunicationem non servaverint, argumento capituli 11. de privileg., & Clement. 2. de sent. excom.: quòd si de Clericis agatur, qui & suspensioni obnoxii esse possunt; pro qualitate violatæ censuræ, majoribus censuris subjiciuntur, aut etiam pœnis, cap. 13. §. quia verò de hæreticis. Hinc aliquando excommunicantur, can. 2. dist. 55., cap. 2. de Cler. excom. min., Clem. 3. de sentent. excom., quandoquè beneficio privantur, uti in specie capituli 8. de ætat. qualit. & ord. præfic., ubi notandum est, ideo Clericum beneficio spoliari, non tam quòd per longum tempus in censura perstiterit, quam quòd dum censura teneretur, aliud beneficium adipisci conatus est. Addi potest capitulum 4. de cohabit. Cler. & mulier., cap. ult. de excess. Prælat., & capitulum 16. vers. Caterum de elect. in 6. Quandoquè etiam à gradu suo deiciuntur, cap. 8. de dolo, & contum., cap. 13. de vita & honest. Cleric., cap. 3. & 4. de Cler. excom. minist. Quòd si Clerici censura notati turbas concitent, & seditione facta adversus ecclesiasticam potestatem irrumpant, exiuntur clericali privilegio, & traduntur curiæ seculari juxta qualitatem sceleris puniendi, can. 7. caus. 11. quest. 3., argumento capituli 10. de iudicis. Sunt denique certi effectus violatæ censuræ, ratione Ecclesie, seu loci sacri, in quo violatio admittitur. Nimirum polluitur Ecclesia, si in ea excommunicati, vel interdicti cadaver fuerit tumulatum, cap. 7. de consecr. Eccles. vel altar., & amittit Ecclesia jus sepulchri, quo casu in ea aut hæreticorum, aut hæreticis faventium cadavera sepeliuntur, cap. 2. princ. de hæreticis in 6.

CAPUT XI.

De modis, quibus censura deletur.

Quemadmodum ubi certum est, censuram notam inustam fuisse, curandam imminet notato, ut quanto tuis auferatur, ita nulla opus est sollicitudine, ut quis ab ea se purget, quam certò scit non incurrisse. Quid tamen, si de censura dubitetur? Secernere oportet duplicis generis dubitationem, priorem, quæ consistit in jure, posteriorem, quæ consistit in facto. Si dubitatio in jure versetur, ac dubitetur, an certis in casibus leges ecclesiasticæ censuram inflixerint, item an sententia abs giudice prolata censuram in sua formula comprehendat, nunquam pro censura illatione adfirmandum est, nulla sollicitudine adhibenda, ut quis solvatur ab eo vinculo, quo innodatus fuisse non videtur, argumento cap. 18. de sent. excom. in 6., neque enim credendum est, aut legislatorem aut judicem obscuris verbis voluisse censuram illationem involvere, argumento cap. 30. & 39. de reg. jur. in 6. At si constet de censura aut abs jure, aut ab homine lata ob certas causas, & dubitatio tantum versetur in eo, an quis in eam censuram incidere, hic locum habet prudens juris regula, quæ suadet, in dubio tutiorem partem esse eligendam, quam in proposito recipiendam voluit Innocentius III. in cap. 5. de Cler. excom. minist., proindeque curandum, ut saltem ad cautelam censura abolitio petatur. Delentur autem censura septem modis, abrogatione, revocatione, cassatione, morte ferentis, morte notati, lapsu temporis, & absolutione. Singulare illud est in censura suspensionis, ut aliquando etiam finiatur dispensatione, ut in cap. 2. de Cler. non ordin. ministri, in cap. 2. & 3. de eo qui furtivè, in cap. 52. de sent. excom., & in cap. 21. de tempor. ordin. in 6. Verùm id ex

eo profluit, quòd aliquando suspensio quosdam habet irregularitatis effectus, & quodammodo induit speciem irregularitatis. Siquidem qui suspensus est à certo ordine, impedimentum contrahit, ne interea ad majores ordines promoveatur; quemadmodum verò irregularitas non nisi dispensatione deletur, ita receptum est, ut in ea suspensionis specie adhuc quædam fieri posse dispensatio videatur. Abrogatio censuræ locum tantum habet in censuris, quæ abs jure indicuntur, & fit, cum lex nova revocat legem veterem, quæ censuram tulerat, aut eum lex eadem veteris consuetudine aboletur, quod fit in omnibus modis, quibus solent leges abrogari. Nemo inde non colligit, abrogationis effectum non eum esse, ut qui jam facto suo incidit in censuram à lege indictam, statim incipiat esse à censura solutus, sed tantum ut qui post abrogatam legem quidquam in eandem legem admisit, non amplius censura subjaceat. Revocatio habet tantum locum in censura aut lata per præceptum si fortè præceptum suum superior revocaverit, exemplo abrogationis legis generalis; aut lata per sententiam, quam iudex veluti irritam causam melius perspecta retractat, cap. 48. de sent. excom., cap. 10. de appellat. in 6. Aliud sanè vigeret, si sententia non irrita, sed tantum iniusta fuerit; qua in specie licet singulari jure receptum sit in censuris, ut eam revocare valeat, qui eandem tulit, nihilominus tamen præter revocationem erit necessaria absolutio, præsertim si publica denuntiatio secuta fuisset, cap. 48. de sent. excom. Cassatio habet tantum locum in censura per præceptum, aut per sententiam lata, atque in eo distinguitur à revocatione, quòd cassatio fiat auctoritate superioris pro-